



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

13. Quibus modis filii legitimis natalibus restituantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



## CAP. XIII.

Quibus modis filii legitimi natalibus resti-  
tuatur.

PRIMO quaeritur, Quo pacto filii fiant legitimi persequens matrimonium? De hac re Doctores in cap. tanta. Qui filii sint legitimi, & Couarruias in epitome par. 2. ca. 8. Sciendum est, dupliciter filios legitimos naturalium iura adipisci, videlicet auctoritate iuris, & rescripto, siue privilegio Principis. Auctoritate iuris filios reddit legitimos subsecutum matrimonium. cap. tanta. Qui filii sint legitimi, v. g. Titius genitus fuit ex parentibus solutis, at vero postea parentes matrimonium contraxerunt, eo ipso Titius factus est legitimus. Et hoc tum ipsum ius Canonicum tum civile constituit. Canonicum quidem in cap. tanta. Et cap. 1. Qui filii legitimi: civile vero Inst. de nupt. §. ult. Et Authen. Quibus modis naturales efficiantur, §. si quis iugiter doti alia. Et l. Cum quis. C. de Natural. lib. Inst. de Hared. quia ab intestato defertur, §. Quibus verb. Necnon.

Secundo quaeritur, An omnes filii extra legitimum coniugium nati, legitimi reddantur per subsequens matrimonium? Respondeo, naturales tantum filios legitimos fieri, hoc est, eos, qui sunt orti ex parentibus, inter quos matrimonium consistere poterat, quo tempore ipsi filii nati sunt, vel concepti. Sic Doctores in cap. tanta, Qui filii sint legitimi.

Tertio quaeritur, An satis sit, si parentes tempore nati filii soluti sint, ita ut inter eos poterit matrimonium subsistere: an vero etiam requiratur, ut quo tempore filius est conceptus, parentes fuerint tales? Teste Couarruias in epitome par. 2. ca. 8. §. 2. nu. 2. Salicetus, Cynus & Paulus voluerant requiri, ut tempore concepti filii, parentes ita fuerint soluti, ut ratum matrimonium inter eos esse poterit: ac proinde filios conceptos ex parentibus vinculo Canonico obstrictis, qui postea beneficio Romani Pontificis ius relaxantur matrimonium inierunt, non esse legitimos, etiam si nascantur ex matrimonio contracto per relaxationem Pontificiam. Quod probant ex l. Paulus. ff. de statu hominum, ubi conceptus proles tempore consideratur ad filiorum statum asserendum. Ac subdit Iuriconsultus, aliter liberos iustos non esse. Vnde Glossa in cap. 2. Qui filii sint legitimi, ex ea lege colligit, habendam esse rationem temporis, quo proles concipitur, cum de alicuius commo tractatur. Idem probatur ex Glossa in l. Et si contra, C. de nuptiis, Et in l. ex libera, C. de suis, Et legitime heredib.

At enim contraria sententia est communi consensu recepta, videlicet, sufficere si eo tempore concepta, vel natae solobis matrimonium inter parentes contrahi potuisset, ex l. Qui in utero, ff. de statu hominum: ubi Iuriconsultus foerum, dum est in utero, natum existimat, cum de commo eius agitur. Hanc sententiam sequuntur Glossa, & Hostiensis, Ioan. Andreas, Antonius, Abbas, partim in cap. 2. partim in cap. tanta, Qui filii sint legitimi. Vnde sit, ut etiam si quis quo tempore est conceptus, esset spurius, utpote conceptus ex adulterio, vel incestu cum consanguinea, vel affini; si tamen postea nasceretur ex nuptiis legitime inter parentes contractis, eo ipso talis filius spurius fieret legitimus. Item, si aliquis vxore ligatus ex foemina soluta filium suscepisset, & defuncta vxore, antequam concepta proles nasceretur, eam foeminam solutam, vxorem duxisset, filius legitimus redderetur.

Quarto quaeritur, An necesse sit, ut matrimonium subsequens contrahatur inter parentes dotalibus instrumentis adhibitis? Bald. in lib. Feudorum. Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum, Et agnatos vasalli, §. si quis, verbo, Naturales, affirmat id necessarium esse: quia iusta nuptiae non sunt, si aliter contrahantur. Inst. de nupt. §. Aliquando, Et Authen. Quibus modis naturales efficiantur sui, §. ult. Sed teste Abbate in cap. tanta, num. 2. Qui filii sint legitimi, Pontificij Iuriconsulti oppositam sententiam tuerunt; Calderinus, Antonius, & alij in eo cap. tanta. Reuera Baldi

Azor. Inst. Moral. Pars 2.

opinio locum habet in iure civili; sed altera contraria Canonico iure fulcitur, cui in hac parte adhaerendum est, ut docet Couarruias in epitome part. 2. cap. 8. §. 2. numero 8.

Quinto quaeritur, An necesse sit, ut inter parentes proxime matrimonium subsequatur, an vero filij legitimi reddantur, etiam si aliud matrimonium initum fuerit inter tempus nate proles, & contractum matrimonium cum foemina, ex qua conceptus est filius? Respondeo cum Ioan. And. in cap. sine culpa, de Reg. iur. in 6. & Abbate in praemisso c. tanta, num. 3. necessarium non esse. Quo fit, ut si is, qui suscepit filios ex concubina, contrahat cum alia foemina, & ea mortua, vxorem ducat concubinam, filij legitimi fiant per subsequens matrimonium cum concubina contractum, nihil obstante matrimonio inito cum alia foemina, antequam proles nasceretur.

Sexto quaeritur, An filij per subsequens matrimonium fiant vere legitimi, an vero tantum iuris fictione pro legitimis habeantur? Antonius teste Panormitano in c. tanta, supra memorato, sentit non fieri vere legitimos, sed ut legitimos censeat. Vnde colligit, si statutum de legitimis aliquid decernat, non comprehendi huiusmodi filios factos sequenti matrimonio legitimos, quia statutum, locum non habet in casu ficto, l. An Praetor, §. Hac verba, ff. de negotiis gest. Secus vero dicit esse, quando ius commune de legitimis fecerit mentionem. Sed verius est, quod docet Panormitanus ibidem, huiusmodi filios esse vere legitimos, quia sunt iuris auctoritate legitimi.

Obijciat aliquis, in c. tanta, solum dici: (Habeantur pro legitimis) sed verbum (habeantur) non rei veritatem, sed iuris fictionem significat. Respondet Panormitanus, verbum (habeantur) rei veritatem continere, cum profertur ab eo, qui habet potestatem, c. ex parte de spons. vnde inquit idem Abbas, Bartolus docet, idem esse, si statutum dixerit (Habeantur pro civibus), ac si dixerit, (suis civis) ex l. Si is qui pro emptore ff. de usucapionib. Et l. Si maritus ff. ad legem Iuliam, de adult. Hac sententia Panormitani est communi consensu recepta, teste Couarruias praefato in loco, num. 20. Et 5.

Septimo quaeritur, An solum subsecuto matrimonio legitimi reddantur filij, nati ex concubina vnica & domi retenta, & cum qua matrimonium esse poterat inter parentes tempore concepti, vel nati filij? Bart. in l. in concubinato, §. 1. ff. de concubinis, affirmat solum tales filios fieri legitimos subsecuto coniugio, quod probat ex Inst. de nupt. §. Aliquando, Et Inst. de haredit. quae ab intestato defertur.

Ceterum verior est opinio contraria, videlicet in vniuersum eos reddi legitimos, qui nati sunt ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuisset tempore concepta, vel natae solobis. Ita Panormit. in eo cap. tanta, num. 14, ubi citat Ioannem Andream, Goffredum & Glossam, in cap. Innotuit, de elect. Bart. autem sententia locum habet tantummodo in iure civili: sed contraria opinio magis est cum iure Pontificio consentanea, cui in hac parte standum est. Gratius enim peccatum est cum concubina rem habere, quam cum alia foemina soluta pro concubina non habita. Ergo si filij ex concubina suscepti legitimis natalibus restituantur subsecuto matrimonio; maiori ratione legitimi redduntur, qui nati sunt ex foemina soluta, & quae non habetur, ut concubina. Sic etiam Couarruias in eo loco quem dixi, nu. 4.

Octavo quaeritur, An filius natus ex patre Christiano, & matre Pagana, siue Iudaea, fiat legitimus matrimonio inter parentes subsecuto? Gaspar Calderinus, ut refert Panormitanus in cap. tanta, nu. 14. sentit fieri legitimum, quia inter parentes poterit matrimonium esse, si foemina ad Christum converteretur; ac proinde inter eos perpetuum non erat impedimentum. Sed verior est sententia Abbatis, quae etiam fuit Ioannis Andream teste eodem Abbate, videlicet huiusmodi filium non reddi legitimum: quia tempore quo fuit conceptus, vel natus, non poterat esse matrimonium inter parentes absque relaxatione Romani

I 3

Pontificis:



Pontificis; & vt iuris fictio rem habeat, opus est, vt res ipsa retrotrahatur ad tempus, in quo extrema sunt apta & habilia. *l. Si is, qui pro emptor. ff. de usucapion. Idem sentit Ancharanus conf. 400. & Couar. loco praedicto, nu. 7.*

Nono quaeritur, An filius ex adulterio susceptus, legitimorum iura obtineat, quando aliter parentum bona fide matrimonium contraxit? Glossa in *c. tanta, qui filii sint legitimi*. primo sentit, minime fieri legitimum. Sed secundo dicit, verius esse, eum esse legitimum. Respondeo cum Ioanne Andrea, Antonio, & Abbate in *dito cap. tanta, n. 8.* distinguendo. Aut quis solutus nuptias in facie Ecclesiae contraxit cum femina matrimonij vinculo adstricta, sed bona fide ignorans eam esse matrimonio alligatam; siue e contrario, quis habens uxorem, matrimonium contraxit cum soluta femina, bona fide ignorante ipsum esse cum alia uxore copulatam; & tunc filij ex tali matrimonio suscepti legitimi sunt *cap. ex tenore: Qui filii sint legitimi*, in quo habetur, *si quis coniux viuente prima uxore, in facie Ecclesiae contraxit cum secunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles*. Aut nullum matrimonium fuit contractum inter parentes scienter adulterium patentes, & tunc filij ex eo adulterio nati, non efficiuntur legitimi, si tempore conceptae, vel natae proles matrimonium inter parentes esse nequibat. Sic etiam Couarruias *ibid. n. 16.* vbi secundum Ioan. Andream, Anchar. Cardinal. Antonium, & alios generatim docet, sufficere bonam fidem alterius coniugis, vt proles sit legitima, nata ex matrimonio contracto in facie Ecclesiae, alioqui irritum propter incestum, vel sacrilegium, vel aliud occultum Canonicum impedimentum.

Quaeritur, An filij nati ex matrimonio clam contracto, vel contra interdictionem Ecclesiae, fiant legitimi post approbationem matrimonij? Glossa in *cap. Quod nobis, qui filii sint legitimi*, ait, fieri legitimos, si nullum inter parentes impedimentum erat, quo matrimonium esset irritum. Et hoc, inquit, locum habet, siue nati sint filii ante, siue post approbationem matrimonij. Sed quid dicendum, si erat impedimentum, videlicet consanguinitatis, vel affinitatis occultum? Duae sunt opiniones, vt refert Siluester in *verbo, filii, q. 8.* Prima sentit, eos fieri legitimos, approbato per Ecclesiam coniugio, sic Ioan. Andreas, & Antonius in *cap. tanta, Qui filii sint legitimi*. Secunda opinio negat eos fieri legitimos: ita Ioan. Calderinus, ac etiam Panormitanus quos loco paulo ante allato, refert Siluester. Id probant *ex cap. vlt. §. si quis, de clandest. desponsat.* sed vt ait Siluester in eo loco, probabilior est prima opinio *ex cap. Quod nobis, supra citato*. Dicit aliquis, inter parentes fuisse impedimentum. Respondeo cum Siluestro, satis esse, potuisse tunc esse matrimonium opinione hominum, quamuis non re ipsa, bona fide, vel vtriusque, vel alterius fuit matrimonij contractum.

Decimo quaeritur, An filij nati ex parentibus voto simpliciter castitatis adstrictis, legitimi fiant subsecuto matrimonio, quod per iuris relaxationem Pontificiam contractum est? Quidam negant fieri legitimos. Primo, quia sunt orti ex sacrilegio, & proinde ex damnato complexu. Deinde, quia nati sunt ex parentibus, inter quos matrimonium esse non poterat citra Pontificiam relaxationem iuris. Alij affirmant legitimos reddi, quia tempore conceptae, vel natae proles nullum erat impedimentum, quod matrimonium inter parentes irritum faceret, sed solum erat impedimentum, quod obstabat ne matrimonium contraheretur: probabilis est haec opinio: sed fortassis prima est verior.

Vndecimo quaeritur, An filij naturales reddantur legitimi subsecuto matrimonio, etiam si contractum fuerit ab infirmo, & morti vicino, vel a senes decrepitate aetatis cum concubina? Respondeo cum communi sententia, fieri legitimos: Ita Ioan. Andreas, Panorm. Antonius, Praepositus, Albericus, Alexand. Cynus, Iason, & alij, quos citat, & sequitur Couarruias loco citato, nu. 10.

Dices eiusmodi matrimonium esse fraude contractum. Respondeo, nihilominus matrimonium valere, nec vlli

iniuriam irrogat qui suo iure vtitur. Inlicitus, contrahi matrimonium debere spe proles, vt legitima fiat. Bald. in *l. nuper. C. de natur. liber. & m. l. ea, quam. C. de fideicommiss.* respondet, satis esse, matrimonium contrahi ad reddendam prolem legitimam, quae fuerat a parentibus ante suscepta.

At inquit, in *cap. 2. de frigidis*, habetur, matrimonium contrahi nequit ab eo, qui generare non potest: Respondet, ab eo, qui generare non potest per se, & per vim naturalem: secus vero est de eo, qui generare non potest ex accidenti: quia exprobat v. g. vel quia effectus est senex.

Duodecimo quaeritur, An filij legitimorum iura assequantur, subsecuto matrimonio ipsi parentibus iniuris? Respondeo, eos assequi: sufficit enim, si matrimonium sequatur, etiam si parentes nolint filios fieri legitimos. Couarruias in *praedicto loco, n. 12.* Oppones quod habetur in Authen. *Quibus modis naturales efficiantur filii, §. si vero is*, vbi legitimus, filios non posse fieri legitimos contradicentibus parentibus. Respondeo, id locum habere in ijs, qui sunt legitimi rescripto, aut priuilegio Principis: non in ijs, qui auctoritate iuris legitimis natalibus restituantur. Sic Angelus, Praepositus, Albericus, Bartolus, & Baldus, a Couarruias producti, vbi diximus, nu. 13.

Quaeritur, an etiam filius citra vllum consensum ipsius, legitimus fiat subsecuto matrimonio? Bartolus in *l. vlt. ff. de iis qui sunt sui iuris*, affirmat, infantem posse fieri legitimum. Idem probat Barbarius *conf. 33. nu. 2.* quum quidam, vt Albericus, & alij, quos citat Couar. existimarent requiri consensum filiorum. Sed verius est quod dixi: quia haec natalium restitutio non sit priuilegio principis, sed auctoritate iuris.

Decimotertio quaeritur, An si quis habeat filium naturalem, & ex eo nepotem legitimum filium filij sui, & vita functo filio naturali, ducat uxorem concubinam, ex qua filium naturalem genuerat, nepos fiat legitimus ex matrimonio secuto inter auum & auiam? Multi quos citat Couar. *n. 19. eius loci quam supra retulimus*, negant fieri legitimum, eo quod restitutio natalium legitimorum ad nepotem deuenire non possit per patrem illum, qui eo ipso quo mortuus est, capax non est. Ceterum verior est contraria sententia, quam habent Socinus, Aretinus, Alciatus praeter Baldum, & Bartolum, quos refert, & sequitur Couar. *eodem in loco, §. numero*.

Decimoquarto quaeritur, An filij omnia legitimorum iura assequantur subsecuto matrimonio? Respondeo cum communi sententia, quam habet Panorm. in *cap. tanta. Qui filii sint legitimi, nu. 7.* & Glossa *ibidem*, omnia consequuntur spiritualia, & Ecclesiastica iura, tum civilia, & profana, ita vt sint in omnibus legitimi. quare suis Maioribus, & fratribus, & alijs ex parte fratrum cognatis succedere queunt ex testamento, & ab intestato. Item admittuntur ad emphyteusim Ecclesiasticam, quam pater habuerat, Imola, Alexander, Ripa, Paulus Parisius; quos citat, & sequitur Couar. *eo quem dixi loco, n. 23.* Item admittuntur ad feuda. Abbas in *c. Immo ut. de elect. & in cap. tanta praenotato. Ioan. And. & alij in cap. lator, Qui filii sint legitimi. Couar. in d. c. n. 27.*

Nec obstat, quod habetur in *c. 1. §. Naturales, in lib. Feudorum. si de feudo fuerit contentio inter dominum, & agnatos vassalli*, vbi legitimus, naturales filios, & non legitimos ad feuda non admitti: hoc enim locum habet in naturalibus, qui legitimi sunt priuilegio Principis. Baldus *ibidem* distinguit: si feudum concessum esset, ea conditione, vt transferret ad posteros legitime natos, vel legitime descendentes, tunc in eo non succedunt filij naturales facti legitimi ex matrimonio subsecuto. Si vero concessum esset simpliciter, vt transferret ad posteros legitimos, tunc in eo succedunt. Sed Baldum merito refutat Panormitanus in *c. tanta supra citato, nu. 7.*

Praeterea donatio facta a patre reuocatur, iuxta, *l. si unquam. C. de reuoc. donat.* propter filium naturalem ex secuto matrimonio legitimum effectum. Baldus, Ripa, Tiraq. vt refert Couar. *n. 29.* quod locum habet, etiam si ante dona-

tionem



tionem factus sit legitimus ex matrimonio subsecuto. Et reuocatur donatio ea ex parte, quæ legitimam filiorum attingit. Insuper prædictus filius absque vlla alia relaxatione Pontificia, potest Episcopus eligi & creari. Glossa & Doctores in c. *Innotuit de elect. in verb. coningata*. Abbas in c. *tanta, citato, num. 7.* & proinde potest ad omnes Ecclesiasticos ordines promoueri.

Item potest admitti ad ea omnia, quæ legitimis non solum iure communi deferuntur, sed etiam ad ea, quæ legibus municipalibus, & statutis ciuitatum, ac populorum contineantur. Hæc ex communi sententia, quam Couarruuias refert loco citato, num. 25.

Postremo, filij naturalis restituitur ex matrimonio subsecuto ad legitimos natales, non reuocatur propter crimen ingrati animi in filio; vt reuocaretur libertas & restituitur natalis Principis priuilegio facta. Bald. Ripa, Tiraq. & alij, quos citat ibidem Couar. num. 14.

Decimo quinto quaeritur, Vtrum, quando ex lege, statuto, vel testamento primigenia pertinent ad filium primogenitum, præferendum sit filius naturalis primo natus ex concubina, filio secundo genito ex legitimo matrimonio, quod postea contractum cum alia: qua defuncta vxore, secutum est postea matrimonium cum concubina; ita vt factus sit filius naturalis primo natus legitimus: verbi gratia, Post natum filium naturalem ex concubina contraxit pater nuptias cum alia, ex qua filium legitimum suscepit: & postea, mortua vxore, contraxit matrimonium cum concubina, ex qua filium naturalem longe ante genuerat.

Quaeritur, an primigenia debeantur filio legitimo secundo nato, an filio naturali facto legitimo ex matrimonio sequenti cum concubina. De hac quaestione Syluester in verbo *filij*, qu. 25. lo. Andr. in c. *sine culpa de Regul. iur. in 6.* sentit, filium secundo natum, esse præferendum ei, qui primo natus est: cuius sententiam sequuntur Ancharanus, Cardina. Henricus in c. *tanta*. Qui filij sine legitimi. In Alex. Tiraq. & alij à Couarruuias producti in loco præcitato, n. 18. Id probant: quia post matrimonium contractum cum alia, filius naturalis, qui primo natus erat factus est legitimus: ergo cum secundo genitus est filius ex legitimo matrimonio, ipse est primogenitus: quia quo tempore natus est, nullus erat primogenitus filius legitimus, siquidem nondum erat contractum matrimonium cum concubina, ex qua fuerat filius naturalis procreatus. Itæ filius ex primo coniugio susceptus acquiritur ius ad primigenia, antequam filius naturalis fieret legitimus ex matrimonio contracto cum concubina: & restituitur legitimorum natalium nunquam intelligitur fieri cum damno alterius, cum nemini nocere debeat. Cæterum Couarruuias loco citato censet probabilem esse contrariam sententiam, & prædictam opinionem communem locum habere solum in filio naturali, qui sit legitimus priuilegio Principis: & addit, ita sentisse Baldum, Salicetum, Florianum, & alios.

Verum prima sententia videtur esse probabilior, & verior. Ex qua etiam fit, vt si pater prius ducat vxorem concubinam, ex qua filium naturalem suscepit natum minore, quam esset alter filius naturalis ex alia concubina susceptus, & ea mortua ducat vxorem concubinam, ex qua sustulerat filium naturalem natum maiorem, filius ex priori matrimonio legitimus effectus debeat præferri in feudo, & primigenijs filio naturali maiori, ex posteriori coniugio generato, quia per primum matrimonium ius acquisiuit ad feudum & primigenia. Molina. lib. 3. de *Primog. c. 1. nu. 8.*

Decimo sexto quaeritur, An filius naturalis factus legitimus ex matrimonio subsecuto, dici queat simpliciter, & absolute legitimus, ita vt comprehendatur in quolibet statuto, constitutione, & lege municipalibus, quæ aliquid deferunt filijs legitimis? Respondeo cum communi sententia, quæ est apud Couar. in eo loco quem dixi, num. 30. simpliciter & absolute esse, & dici legitimum.

Quæres, an etiam dicatur filius ex legitimo matrimonio natus, siue genitus, ita vt ad ea omnia iura sit admit-

tendus, quæ statuto, lex municipalis tribuit filijs ex legitimo matrimonio natis? Baldus Alexander, Barbarius, & quidam alij teste Couar. in prænarato loco n. 30. censent tale filium dici non posse. Verum Glossa & Abbas in c. *tanta*: Qui filij sine legitimi, & in c. 8. *Innotuit, de elect.* tradunt dici posse filium ex legitimo matrimonio natum: inde comprobantes, quod in c. *Innotuit, de elect.* habemus Episcopum eligi non posse, nisi ex matrimonio legitimo natum, & tamè in c. *Innotuit eod. tit.* Glossa communi consensu approbata docet Episcopum eligi posse eum, qui est filius naturalis, & factus legitimus ex matrimonio subsecuto. Hanc opinionem dicit esse communem Couar. in eo loco, quem superioris protulit: pro qua opinione refert Antonium, Paulum Decium, Parisium & alios.

Vltimo quaeritur, An quando fideicommissum relictum est patri qui habet filium naturalem, ea conditione, si absque liberis, vel absque liberis legitimis decesserit filius naturalis factus legitimus per matrimonium postea secutum, excludat substitutum cum tali conditione? Baldus, Alciatus, & alij, teste Couarru. in eodem loco, ita distinguunt: Si conditio fuerit talis: si absque liberis ex legitimo coniugio susceptis omnino decesserit, non excludi per filium naturalem, eum, qui cum prædicta conditione substitutus est. Si autem conditio solum simpliciter habeat: si absque liberis, vel absque filijs legitimis decesserit, tunc inquirunt, filius naturalis factus legitimus ex matrimonio postea contracto substitutum repellit. Sed verior est contraria sententia; vt docet Couar. in prædicto loco substitutum excludi, etiam si conditio fuerit apposita: si absque liberis legitime natis, vel absque liberis ex legitimo coniugio susceptis decesserit.

Quæres, an si in odium substituti, eiusque, qui in primigenijs erat alioqui successurus, matrimonium quis contrahat, videlicet, vt illi noceat, eumque excludat, filius ex matrimonio secuto factus legitimus, ei præferatur? Molina. lib. 2. de *primigenijs c. 2. nu. 27.* & Antonius Gomes in l. 9. *Taurina, n. 58.* aunt communi esse sententiam, filium talem non esse substituto præferendum; quia contractum est matrimonium in fraudem & odium substituti: fraudem autem, & dolus nulli debent parocinari. At Franciscus Sarmientus lib. 1. *Inscript. c. 6.* & Vasques Menchaca lib. 3. *Constitutionum c. 4. n. 5.* censent præferendum esse substituto filium quem dixi. Cui sententiæ videtur subscribere Couarruuias in epist. par. 2. c. 8. §. 2. n. 10. Et hæc sententia mihi magis placet, si de foro contentente loquamur: nam in foro iudiciali fortassis pro substituto sententia proferetur, quando probabiliter constiterit matrimonium fuisse contractum in odium substituti.

Obijcies id, quod habetur in Concilio Moguntino 20. q. 3. sic discernente: *Constituit sane sacer iste Conuentus, vt Episcopi, aut Abbates, qui non in fraudem animarum sed in avaritiam, & turpe lucrum quoslibet homines conueniendæ totonderunt. Et res eorum tali peruersione subripuerunt, penitentia Canonice, vt potest turpis lucri sectatores, subiacent: si vero, qui illi comam deposuerunt, in eo, quod ceperunt, perseverare cogantur: res vero eorum heredibus reddantur.* Sic ibi. Ergo si Monasterium non præferat heredi, cum quis in eo Religionem profiteretur, vt heredem alioqui successurum ab hereditate excludat, filius quoque ex subsecuto matrimonio legitimus effectus non repellat substitutum, si matrimonium fuerit contractum in odium substituti: Respondeo, Concilij decretum esse penale, & proinde locum, & vim non habere, nisi post criminis condemnationem.

#### CAP. XIV.

##### De filijs, qui legitimi sunt rescripto & priuilegio Principis.

**A** Nimaduertendum est, per rescriptum Principis non solum naturales filios, sed etiam spirituos, & ex damnato concubitu genitos, legitimis natalibus restitui: sicut etiam Libertini redduntur ingenui, quoniam iure rescripto filij extra legitimum matrimonium nati, sunt inhabiles